

et pecuniarum summas, quod absit, ei neglexerimus solvere plenarie et complete, ipse ad veniendum personaliter et perficiendum iter suum promissum armatorum suorum hominum comitiva ulterius non tenetur nec quomodolibet obligatur. Per premissa tamen ligis, confederacionibus et unionibus nostris litteris hinc inde datis antea comprehensis nolumus derogare, set eas exceptis prescriptis quoad alia in suo vigore et robore volumus permanere. In cuius rei testimonium presentes conscribi nostroque sigillo regio iussimus communiri.

Dat. Confluencie, VI. die mensis^a Septembris, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo octavo et anno regni nostri duodecimo.

LXIII. Herzog Reinald von Geldern und Markgraf Wilhelm von Jülich beurkunden im Namen des Königs von England die Bedingungen der Soldzahlungen im Anschluss an das englische Bündnis. 1339 März 12.

Köln, Stadtarchiv in Transsumpt von 1339 Juli 19, beglaubigt 1339 Juli 22¹. Nach Abschrift von E. Schaus. Or. collationiert.

Nos Reynaldus Dei gracia dux Gelr(ie) et comes Sutphan(ie) ac Wilhalmus eadem gracia marchio Iuliacensis notum facimus presencium tenore universis, quod cum inter serenissimum principem et dominum nostrum dominum Ludwicum Romanorum imperatorem et excellentissimum principem dominum Edwardum regem Anglie illustrem pro recuperatione bonorum, iurium et honorum tam imperii quam dicti domini regis per Phillippum de Vallesio pro rege Francie se gerentem et per alios ipsorum imperii et regis Anglie emulos et rebelles occupatorum et illicite detentorum certe confederaciones et convenciones^b fuerint concordate, nos vice et^c nomine dicti domini regis Anglie et pro eo promittimus per presentes, quod idem dominus rex Anglie prefato domino nostro imperatori aut suis certis nunciis ad hoc specialiter deputandis pro duobus milibus hominum galeatorum, quos secum contra Phillippum de Valesio predictum ducere debebit, ter centum milia flor(enorum) auri de Florencia in civitate Coloniensi iuxta comune cambium Coloniense numerari faciet et exsolvi, quod

a) Auf Rasur. b) 'confederacionis et convencionis' Or. c) Doppelt geschrieben Or.; das erste 'et' auf Rasur.

1) Vgl. die Anmerkung zu n. LXII. Siehe auch oben n. LVIII.